

*glorificavit se in deliciis, tantum detur ei tormentorum.*

2. *Objectio.* — Dices, conversio per se non est mala, ut supra diximus; ergo non meretur propriam pœnam. Confirmatur: nam saltem pura ommissio, si sit, non merebitur illam, quia nulla est ibi conversio; e contra vero ipsamet aversio a Deo est voluntate prava voluntaria; ergo meretur pœnam sensus. Respondeo primo, sicut peccatum est unum quid in genere moris, et in illo distinguimus duplicem totalitatem, ita illi respondet una integra totalis pœna, quasi ex duplici parte constans: et licet a theologis illæ pœnæ secundum quamdam accommodationem attribuantur singulis pravitatibus et deformitatibus; tamen simpliciter totum peccatum, et omnis ejus malitia illa eadem pœna punitur, et singulis partibus ejus. Secundo dicitur conversioni attribui pœnam non propter positivum, sed propter malitiam moralem per se contrariam rectitudini rationis, quæ ut sic non respicit ultimum finem, et ideo illa maxime censetur puniri ea pœna quæ homini affert incommodum sine ordine ad ultimum finem. In omissione autem pura, si esset, licet deficeret actus positivus, non tamen hæc malitia moralis, quæ est rationi contraria, et propria ratio hujus pœnæ: de aversione vero concedo illam esse dignam ea pœna quæ causet afflictionem et tristitiam: sed non oportet esse eam quæ oritur ex actione ignis, nam multo major est ea quæ ex carentia divinæ visionis nascitur, quod late docet Chrysostomus, homilia 24 et 25, in Matth. Vide Bonaventuram, in 2, dist. 3, q. 3, Richardum, in dist. 50, quæst. ultima.

3. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Utraque ex his pœnis erit æterna. Est de fide, Matth., 15, et Marc., 9: *In supplicium æternum, Isai., ultimum: Vermis non moritur, et ignis non extinguitur, Judith, 16: Dabis ignem in carnes eorum, ut urantur in sempiternum, Apocalyps., 14: Fumus tormentorum ascendet, in sæcula sæculorum.* Definitur in VI synodo, actione 41, et in Concilio Lateranensi, c. *Firmiter*, de summa Trinitate, et in Tridentino, sess. 6, cap. 14 et 15, et sess. 14, cap. 18, dum definit in justificatione impii æternam pœnam gratis remitti: unde colligitur secundum fidem, quod sicut quolibet peccato mortali amittitur gratia, ita non tantum multitudini peccatorum, sed singulis mortalibus deberi æternam pœnam, juxta illud Jacobi: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus, 1 ad Corinth. 6, Neque fornicarii, ne-*

*que idolis servientes, etc., regnum Dei possidebunt.* Est etiam traditio Patrum, Hieronymi, in epistola ad Avitum, et epistola ad Pammachium, et lib. 3, ad Ephesios, circa illud c. 5: *Nemo vos decipiat inanibus verbis:* et super tertium caput Jonæ, et in Apolog. contra Rufinum, Augustini, de Hæresibus, cap. 23 et sequentibus 21, de Civitate, fere per totum, Gregorii, 15 Moralium, cap. 4, 9 dialogorum, c. 43, Cypriani, lib. de Laudibus martyrii, et Chrysostomi, hom. 12, et 25 ad Romanos, Damasceni, l. 4, in fine, Origenis, hom. 14, in Josue, et 18, in Numeros 14, in Ezechielem, et t. 5, super ad Roman.

4. *Primus error contra secundam propositionem.* — Contra hanc tamen veritatem refertur primo error ejusdem Origenis negantis pœnas fore æternas etiam in dæmonibus, licet multi propter dicta loca citata eum liberant ab hac nota, sed ab hæreticis fuisse hunc errorem insertum scriptis ejus, de quo dixi l. 8, de Angelis, c. 7. Ad hunc tamen errorem accedit sententia quæ refertur ex Amodeo, dicente, neque beatos esse securos de sua beatitudine, neque damnatos esse certos de suarum pœnarum æternitate, quia cognoscunt Deum esse clementem et misericordem. Sed hoc est plane erroneum, quia revelavit Deus nunquam se usurum hac clementia cum damnatis, et hoc ipsi etiam inviti certo credunt, alias neque omnino essent obstinati, neque desperati de salute sua, quod hæreticum est, et divinæ sapientiæ lege damnatum. An vero aliquis excipiat, res controversa est, quæ non pertinet ad fidem, de qua tractari solet in fine quarti. Vide Abulensem, libro quarto Regum, capite quarto, quæstione quinquagesima-septima, et quæ scripsimus, tomo 2, in 3 partem, disp. 4, sect. 3, et t. 4, disp. 48, sect. 4, concl. 3.

*Secundus error falso attributus D. Hieronymo.* — *Tertius error falso etiam attributus eidem Hieronymo.* — *Quartus error confutatur.* — *Quintus error sine fundamento.* — *Sextus error exploditur.* — Secundus error refertur pœnas dæmonum fore æternas, non tamen hominum, quem errorem Rufinus, libro 1, in Hieronymum, illi imponit propter verba ejus, lib. 5, in Isai, quæ habentur in Glossa ordinaria, Isai. 14, ubi ad dæmonem loquens ait: *Etsi omnes animæ aliquando habuerint requiem, tu nunquam habebis.* Sed de catholica sententia Hieronymi satis constat ex allatis locis: verba vero illa sunt intelligenda per exaggerationem quamdam impossibilem ex divo Thoma, 4, dist. 46, quæst. 2. Tertius error negat pœnas

Christianorum fore æternas, licet de infidelium pœnis id concedat. Refert Augustinus supra varios modos hujus erroris, cap. 26 et 27, et hic etiam error imponitur Hieronymo propter verba ejus in Jonam prophetam, c. 3, et lib. 1, contra Pelagium: impugnatur tamen late ab Augustino, supra, et libro de Fide et operibus, cap. 24, et libro de Vita Christiana, a cap. 13, et in Enchiridio, a cap. 67. Hieronymus autem, ut ex contextu constat, de pœnis purgatorii loquitur. Quartus error asseruit pœnas eorum hominum, qui fuerunt ante adventum Christi, non esse perpetuas, quia per Christum descendentes ad inferos fuerunt liberati, secus vero post Christi adventum refert Castro, verbo *Infernus*, hæresi 2, et confutatur ex dictis, nam Scripturæ et Patres generaliter loquuntur: et confirmatur, quia alias post Christi adventum mali essent peioris conditionis. Quintus error referri potest ex Eusebio, l. 12, de Præparatione, cap. 3, ubi ex Homero et Platone, in Gorgia, refert reges et tyrannos in sempiternum fore cruciandos, non vero privatos, quod nullum habet fundamentum. Sextus error posuit pœnas quidem fore æternas, tamen in eis futuras intermissiones quasdam, ita ut quodam tempore intensius, quodam remissius patientur: aliquando intermittantur omnino, postea redeant, et in hac vicissitudine, perpetuo duraturas. Quæ sententia etiam hæretica est, ut ex dictis testimoniis et Patribus patet, nam Ec. 11: *Ubi ceciderit lignum, ibi erit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, et cætera.*

5. *Cur peccato brevi respondet infinita duratio pœnæ.* — *Prima responsio.* — *Secunda responsio.* — Superest in hac conclusione videre unde sumenda sit ratio istius perpetuitatis; nam cum peccatum sit malum brevissimum videtur ultra condignum puniri perpetua pœna, unde Glossa ordinaria, in id Psalm. 72: *Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum,* sumpta ex Augustino, ait usuras esse peccata, quæ nobis cum magno fenore pœnas, puniunt. Deus enim plus exigit in pœnis quam commissum fuit in culpis. Idem Augustinus, libro de Natura boni, cap. 31. Respondeo primo, cum eodem Augustino, rationem sufficientem justitiæ hujusmodi pœnæ esse divinam legem, primo de Fide contra Manichæos, capit. 19, et severitatem, qua omne mortale peccatum sub hac pœna prohibuit, sicut etiam justis promisit æternum præmium pro merito temporali. Lex enim humana quando a prudente legislatore sub certa pœna proponitur, hoc ipso, qui talem legem transgreditur, meretur illam pœnam; ergo a for-

tiori de Deo hoc procedit, qui infinite sapiens est, etc. Atque adeo, quia voluntas Dei per se est justa, in taxanda hac pœna, creditur pœnam proportionatam esse mortali peccato, et accommodari naturæ ipsius peccati. Secundo addendum est hanc pœnam proportionatam esse mortali peccato. Primo, quia est contra Deum ipsum, qui est infinitæ dignitatis, ut Chrysostomus, homilia 25, ad Romanos, et homilia 9, in 1, ad Corinth., late tractat. Deinde, qui sic peccat, quod in se est, totum suum amorem, et felicitatem perpetuam in creatura constituit: et veram æternam vitam contemnit, quæ est ratio Augustini, epistola 49, quæst. 4. Præterea hoc peccatum, et malitia ejus æterna sunt, nam ex viribus creaturæ est irreparabile, et ideo qui mortaliter peccat, quod in se est perpetuo vult in peccato manere. Quam rationem affert Gregorius, 4, Dialogorum, cap. 44, et D. Thomas exponit eo quod peccatum mortale destruit principium vitæ spiritualis, et ideo meretur æternam mortem. Præterea quamdiu aliquis non satisfacit injuriæ commissæ, semper est pœnæ dignus, et consequenter juste puniri potest: peccator autem nunquam plene satisfacit peccato mortali.

6. *Evasio præcluditur.* — Dices, hæc solum procedere de peccato ut est injuria Dei, atque adeo de pœna damni, quæ illi correspondet, non vero de pœna sensus. Respondeo illam accommodationem pœnarum, ut jam dixi, fieri consideratione quadam: nam re ipsa totum peccatum mortale est unum irreparabile malum, et ideo illi respondent una integra pœna perpetua: sed hoc forte quæstione sequenti magis explicabitur. Verba autem illa Augustini, quibus significat pœnam esse præter justitiæ æqualitatem, non de æqualitate meriti, sed rei intelligenda sunt, quia non est necesse ad rationem justitiæ, peccatum et pœnam esse duratione æqualia, ut docet idem Augustinus 21, de Civitate, capite undecimo, et in judiciis etiam humanis patet: ita divus Thomas exponit, in 4, dist. 46, art. 2, quæst. secunda, ad secundum, ubi etiam videri potest Durandus, quæst. 2 et 7. Loquitur præterea Augustinus de damno, quod aliquis efficit peccando, et vult majus pati damnum, quam ipse efficiat: unde exemplum ponit in eo, qui alterum privat vita corporali, propter quod ipse privatur spirituali vita. Ex quibus patet, quomodo intelligendum sit quod aliqui D. Thomæ tribuunt, peccatum mortale ideo mereri æternam pœnam, quia perpetuo durat: nam re vera totum meritum pœnæ est in actuali pec-



cato, quod brevissimo tempore durat, sicut totum meritum gloriæ est in temporali actu: solum enim meremur gloriam, vel pœnam per actus hujus vitæ, et hoc colligitur ex omnibus auctoritatibus allatis, et videri potest Anselmus, libro primo *Cur Deus homo*, capite vigesimo, et libro secundo, fere per totum. Ut igitur illud verum habeat, nempe æternitatem pœnæ respondere æternitati culpæ, intelligendum sic est, congruentem rationem, et originem propter quam Deus statuit hanc pœnam, sumi ex statu hujus culpæ, quæ de se æterna est, et ideo, qui illam culpam committit, censetur velle totum illud, scilicet statum et perpetuitatem ejus, licet ex objecto, et ex aliis capitibus sumantur aliæ rationes, ut dictum est.

7. *Tertia propositio.* — Tertia propositio. Ex dictis pœnis, pœna sensus est finita intensive simpliciter, pœna vero damni est secundum quid infinita, licet etiam simpliciter finita sit. Est communis, et patet: nam pœna damni est privatio æternæ felicitatis, et quoad hoc est infinita secundum quid, nam privat Deo, quod est infinitum bonum, non tamen est infinita simpliciter, quia non privat Deo in se ipso, neque ipsum in se tollit, sed privat creaturam participatione illius, quæ participatio finita est simpliciter. Secundo est illa pœna tristitia et dolor, quæ ex parte objecti etiam est quodammodo infinita, quia est de summo bono amisso, tamen simpliciter est intensive finita, quia creatura non potest elicere actum tristitiæ infinite intensum, quia etiam ratione pœnam sensus constat etiam esse simpliciter finitam, quia ignis inferni nullam qualitatem potest efficere in damnato, quæ non sit finitæ intensio, dolor vero, qui inde nascitur, non solum in intensio, sed etiam in objecto finitus est. Et rationem utriusque partis reddit divus Thomas ex partibus culpæ, quibus correspondet: nam malitia conversionis omnimodo finita est, malitia autem aversionis secundum quid infinita. Sed dubitat Cajetanus, quia interdum malitia conversionis infinita est saltem secundum quid, ut patet in odio Dei: respondet autem in hoc peccato et similibus malitiam conversionis esse omnimodo finitam. Summa rationis est, quia peccatum accipit gravitatem malitiæ ex motivo, qui autem odio habet Deum, movetur semper ex motivo aliquo creato, et ideo, ut est conversio ad illud, habet malitiam simpliciter finitam.

8. Sed hoc non videtur satisfacere omnino, quia, ut sæpe diximus, gravitas malitiæ non tantum ex motivo, sed etiam ex re, in qua

versatur actus, sumitur: sed illud, quod directe vult, qui odio habet Deum, est infinitum malum, scilicet Deum non esse; ergo ille actus, ut conversio est ad tale objectum, est infinitum secundum quid. Confirmatur a simili in eo qui vult occidere proximum ex motivo divitiarum, nam ille actus, ut est conversio, non solum habet gravitatem ex motivo, sed etiam ex re quam vult. Confirmatur etiam, quia alias non esset gravior malitia in odio Dei, ut tale est, quam in amore divitiarum, ex quo nasci potest. Quocirca mihi certum videtur deformitatem, quam habet odium Dei ex objecto ad quod convertitur, esse infinitam secundum quid, scilicet objective atque adeo ratione illius mereri hoc peccatum pœnam aliquam secundum quid infinitam: unde sicut supra dicebamus, peccatum illud quasi duplici titulo continere deformitatem aversionis a Deo, ita duplici ratione meretur ipsam pœnam damni, unde ratione hujus peccati ipsa tristitia de felicitate amissa erit acerbior: pœna tamen sensus erit finita simpliciter, tum quia ex modo suo non potest habere infinitatem, tum etiam, quia respondet actui finito: tum denique quia tribuitur actui, quatenus virtute saltem includit inordinatum amorem creaturæ, et in hoc potest explicari sententia Cajetani.

9. *Prima sententia in hoc dubio.* — Sed superest aliud dubium: nam rationes factæ solum probant istas pœnas jam de facto esse finitas, quia fortasse infinitæ esse non possunt. Dubium tamen manet, an ipsum peccatum de se sit dignum infinita pœna. Prima sententia affirmat, Almainus, 3 Moralium, cap. 29, et Parisiensis, libro de Fide, et probatur primo, quia peccatum mortale est majus quocumque malo pœnæ, etiamsi in infinitum augeatur; ergo nunquam hoc malum superabit illud. Secundo nulla pœna, quantumvis magna sufficiens est, ut peccator satisfaciat pro injuria illata; sed juste potest ab illo exigi plena satisfactio; ergo posset pœna ejus in infinitum augeri, quia semper esset minor quam ut ad satisfaciendum sufficeret. Tertio non minus augetur meritum pœnæ ex dignitate personæ offensæ, quam meritum satisfactionis, et præmii ex dignitate merentis, et personæ satisfaciendæ, nam videtur eadem proportio; sed meritum Christi augetur infinite ex personæ merito; ergo, etc.

10. *Secunda sententia.* — Secunda sententia est Divi Thomæ, 1, 2, quæst. 87, artic. 5, et Cajetani, et videtur communis theologorum peccatum non mereri pœnam infinitam inten-

sivam etiam de se. Probatur primo, quia malitia peccati est simpliciter finita, et debet pœna proportionari culpæ; ergo. Secundo, quia alias omnia peccata mortalia essent meritoria æqualis pœnæ, nam in pœna infinita intensive, non est majus neque minus. Tertio, alias damnati tunc paterentur pœnam infinite minorem, quam sit illis debita propter peccata sua. Quarto, quia neque pœna damni, neque sensus ex merito peccati debet esse ita infinita. De pœna damni patet, quia si consideremus privationem, peccatum non potest amplius mereri, quam privari tota felicitate, sicut jam privatur. Hæc autem privatio non potest dici infinita intensive, quia est privatio quædam totalis, et non suscipit intensionem. Nisi quis dicat fortasse visionem Dei esse in infinitum intensibilem: et quia hæc pœna privat tota visione possibili, ideo censendam esse infinitam intensive: quod non recte diceretur, tum quia illa privatio opponitur beatitudini secundum subjectum ejus, non secundum intensionem, tum etiam quia damnatus non erat ita proprie, et proxime capax totius intensionis, et perfectionis possibilis in divina visione, ut in pœna peccati censeatur tota illa intensione privari: si vero loquamur de tristitia sequente privationem istam, etiam non est cur censeatur illa infinita intensive, cum alias habeat illa pœna infinitatem proportionatam infinitati culpæ, nempe objectivam, tandem justus per actus charitatis non meretur infinitum præmium intensive, neque de se; ergo neque peccatum talem pœnam meretur.

11. *Judicium auctoris de prædictis sententiis.* — Quælibet istarum opinionum est probabilis: prior enim debet habere hunc sensum, potuisse scilicet Deum, licet non ut Dominus, sed præcise ut legislator et judex consideretur, prohibere peccatum mortale sub acerbiori pœna quam nunc patiantur damnati, et quavis præfixa pœna potuisse imponere majorem, etiamsi in infinitum procedatur, et hunc sensum verisimiliter suadent duæ rationes ultimæ factæ, in n. 9, pro prima sententia. Verisimiliter tamen mihi videtur peccatum mortale pœnam infinitam intensivam non mereri, etiam de facto: quia tanta solum ac talis pœna sancita est per legem, peccatum vero solum illam pœnam meretur sub qua lex est lata, unde etiam verisimiliter infertur hanc esse materiam ipsius peccati, nam Deus accommodat pœnam dignitati culpæ, quod etiam probant argumenta pro secunda sententia, præcipue secundum et quartum.

12. *Ad primum argumentum in num. 9.* — Ad primam rationem primæ sententiæ negatur consequentia, quæ aperte deficit in peccato veniali. Item si illa ratio valeret, etiam lex humana posset levissimam culpam acerbissima pœna punire: quamvis ergo culpa quoad suam malitiam, semper sit major et major, et altioris rationis; tamen pœna ut est remedium in vindictam culpæ, sufficiens esse potest ad puniendam culpam secundum æqualitatem proportionis: sicut argentum nunquam potest esse æquale auro in ratione naturæ et perfectionis, tamen in ratione pretii et valore potest.

13. *Ad secundum.* — Ad secundam respondeo. Aliud est satisfacere, aliud satis pati. Illud requirit dignitatem et voluntatem personæ, atque adeo proportionem inter satisfaciendam et satisfactam: passio vero non requirit voluntatem neque dignitatem personæ, sed hoc solum fit, quia tantum subicitur potestati superioris, quantum voluit offendere: unde ad argumentum, concedo peccatorem non posse tantum satisfacere Deo, quia non potest resarcire injuriam illatam; nihilominus tamen posse pœnam æqualem et justam semper pati, quia in hoc consideranda est proportio rei ad rem, non personæ ad personam.

14. *Ad tertium.* — Ad tertiam respondeo quæstionem de infinitate meritorum Christi non posse hoc loco explicari, ex quo scilicet capite oriatur illa infinitas, scilicet, an tantum ex dignitate personæ, ut est tantum principium operationis, an etiam ex modo operandi, et ex summa proportionem inter operantem, et eum propter quem operabatur, an etiam ex re oblata in satisfactionem et meritum, quæ simpliciter erat infinita ratione unionis. Et ideo nunc breviter dico non esse parem rationem de dignitate personæ in ordine ad meritum: nam dignitas personæ merentis per seipsam auget meritum operis, et ad rationem meriti est quasi intrinseca forma ejus. Quod explicatur, quia persona quæ meretur ipsa per seipsam subicitur alteri, et sese offert ad obsequium alterius, aque adeo ad merendum præmium: demeritum autem præcise respondet malitiæ actionis, ad quam confert objectum, non per seipsum intrinsece, sed ut est extrinsece terminus habitudinis, quam opus habet ad ipsum. Et signum etiam hujus differentiæ est: nam dignitas personæ merentis tantam dignitatem confert actui in ratione meriti, quantam conferre potest nulla proportionem spectata, sed solum posita honestate actionis, et relata ad præmium: objectum autem non dat actui